

A

152  
—  
—  
—  
—

QMK II 129.

Marosvásárhely -

Teleki Könyvtár -

Felzet: 10769



ORATIO FVNEBRIS,

In mortem Illustrissimi

ET REGIIS VIRTVTIBVS OR-

natissimi, vera etiam pietate excellentis Princi-

pis ac Domini D. IOANNIS Secundi

Electi Regis Hungariae &c. Qui natus est

Anno Domini 1540. Diem vero su-

um sancte obiit 1571. Mart. 14.



SCRIPTA

A IOHANNES SOMMERO PIR-

nense, Scholę Claudiopolitane Lectore.

*Johanni reverendo, pro meo*



CLAVDIOPOLI IMPRESSA

Anno D. 1571



**E**

TSI NULLA MIHI IN PV-

blico hoc toti<sup>o</sup> Regni Hungarici luctu,  
quem Illustrissimi Principis nostri mors  
nuper excitavit, causa potest existere,

quæ vel doloris omnem mihi sensum adimat, vel  
ne pro eo ac deo communibus his malis grauissi-  
mè afficiar, impediatur. Inhumanus enim bonis om-  
nibus merito uidear, si quæ toti Reipub. accide-  
runt acerbissima, ad me non existimem pertinere  
plurimum; aut supra aliorum conditionem, fortu-  
næ blandientis benignitate nimis sim positus, si tot  
populorum calamitas, tam potentis olim regni for-  
tuna admodum inclinata, ne dicam euerfa omnino,  
nullam animo ægritudinem adferat: Tamen cum  
dicendi partes ultrò mihi sumserim, perquulgata illa  
iam olim excusatione non utar, vt si quid ualuerim  
ingenio, si quid in dicendo facultatis studio & exer-  
citatione comparauerim, id omne mœroris acerb-  
itate iam vitiatum, grauissimarum curarum pondere  
oppressum, aut iustissimis meis, ijsq; quotidianis  
lacrimis extinctum esse demonstrarem. Nam vehe-  
menter indignum fuerit, nos qui religionem à Chri-  
sto & Apostolis conditam sequimur, eamq; adeò  
ab Ethnicorum superstitione diuersam, ut alij ho-  
mines videri debeamus, sic indulgere dolori, quan-  
tumuis iusto, ut aliquid à grauitate animi alienum,  
constantia Christiana indignum, uel ab impia despe-  
ratione profectum verbo aut facto ostendamus. Sed  
hoc vnum uobis, si modo oratione tantum possim  
consequi, persuasum esse uelim, plurima omnino, ne-  
q; ea exigua Regis huius nostri erga plurimos existe-  
re merita, summisq; ab eo beneficijs cumulos esse

non,



3  
non paucos uix tamen in omnibus illis reperitum iri  
quemq̃, cui singularis officij ratio tantam imponat  
necessitatem præclarum illius erga pios quosq̃ & bo-  
narum literarum studijs deditos munificentiam, ac  
uerè Regiam liberalitatem, aliasq̃ eximias virtutes,  
cōmendandi, & ad alios populos per literarum mo-  
numenta transmittendi, quantam mihi cū priua-  
ta illa, qua uiuum colui, tum publica etiam Scholæ no-  
stræ, imò totius ordinis nostri obseruantia sicut so-  
licitudinem, ut efficiam, ne apud ingratos animos  
sua illum beneficia posuisse aliquis possit suspicari:  
Quòd quidem quam mihi sit futurum difficile, necq̃  
ipse ignoro, necq̃ alij etiam meæ tenuitatis probè  
conscij dissimulant. Verum cum omnia mecum  
diu multumq̃ apud animum expendo, in has pla-  
nè uenio cogitationes ut omni studio & conatu mi-  
hi huc enitendum esse iudicem, ne maiorem existi-  
mationis meæ, quam officij, quod sine turpi ingratitu-  
dinis nota in me desiderari non potest, rationem ha-  
buisse uidear. Ac planè confido me, si non facun-  
diæ alicuius, quam affectare nec debeo, nec si uelim  
possum: at egregiæ certè uoluntatis, gratiq̃ animi  
commendationem, bonorum omnium suffragio ex  
labore hoc reportaturum. Nemo autem ita exi-  
stimet uelim, præter leges religionis nostræ, quam  
sancitam tectam omni fide, studio, & diligentia præ-  
stare debemus, Ethnicorum à meritis instaurari,  
dum uelut in concione funebrem orationem, &  
mortui Regis instituo laudationem. Etsi enim pri-  
mùm in Bruti honorem publicè habitam orationē  
Romana testetur historia, & Cæsaris amitā ab ipso  
laudatam veterum monumenta ostendant: Non ta-



men ea res adeo nobis religioni esse debet, ut vetu-  
stiora exempla que in libris ijs, quibus nostra conti-  
netur pietas, extant perscripta, imitari nefas esse pu-  
temus. Non enim hoc facere puduit Dauidem &  
Regem & Prophetam summum, cum iniustam &  
crudellem Abneri caedem multis etiam lacrimis pro-  
sequeretur neque id sine illustri virtutis & integra-  
tis illius testificatione. Saltem infelicem illam &  
Christianis hominibus cum primis indignam Adu-  
lationem procul relegemus, ac ita orationem nostram  
comparemus, ne quod gentes factitabant, ex lau-  
datione cultum, ex homine Deum facere uelle uide-  
amur. Neque uero & hoc dissimulare possum, inge-  
nij aut instituti mei nequaquam esse, de Genere, fami-  
lia, rebus gestis, alijsque ad Historiam optimi huius  
Principis nostri pertinentibus, narrationem texere.  
Nam ueluti non cuiusuis est, Apellis illius laudati  
in pingendo felicitatem, Phidiae ac Praxitelis in scul-  
pendo Maiestatem summam, exprimere ac imitari.  
Ita historiam scribere, ac ad veterum, in hoc laboris  
genere, laudem aspirare, ingenij est, ut ego quidem  
existimo plane diuini, adeo ut rectissime illi dixisse  
videantur, qui, sicuti Poetam, ita & Historicum bo-  
num non fieri, sed nasci oportere pronunciauerunt.  
Sed in hoc vno totus sum, ut Regem hunc uere illu-  
strem ab ineunte aetate, ita vixisse ostendam, ut fa-  
cile appareat eum Deo unice fuisse carum, nihilque  
habuisse prius, nihil antiquius, quam ut in omnibus,  
que ad Ecclesiae ornamentum dignitatem & com-  
modum spectarent, nihil operae ac studij reliquum fecis-  
se cognosceretur. Euripidis Poetae & veteris &  
sapientis sententia extat memorabilis in ἡρακλῆϊδαϊς



οὐκ ἐστὶ τοῦδε πασι κάλλιον γέρας ἢ πατρὸς ἐδδλοῦ  
καγαθοῦ πεφυκέαι. quæ ostendit, Non posse homi-  
nibus à Dijs maius dari munus, quam si ex bonis  
parentibus contingat nasci. Quòd uerè ab illo di-  
ctum esse, maximus omnium temporum, isq; per-  
petuus consensus adeò confirmauit, ut qui contra  
tenent, cum uniuerso mortalium genere inimicitias  
suscepisse uideri possit. Quamuis enim non rarò  
euenire conspiciamus, ut à Patrum uirtute uehemen-  
ter degenerent liberi: Tamen si ita contingat, sicuti  
sepe contingit, ut non assequi tantum, uerum & su-  
perare maiorum dignitatem filij conentur, tantò res  
ea maiorem meretur commendationem, quantò tur-  
piorem labem uniuersæ familiæ aspergit is, qui sic ui-  
tam instituit, ut in ipso genus desisse, cum tacita  
omnium bonorum reprehensione, animaduertatur.  
Qua in re non fuit exigua Regis huius nostri felici-  
tas. Cum enim Pater ipsius Ioannes, cuius etiam nūc  
sacro sanctum Hungaris nomen est, sua erga Reges  
superiores fide & obseruantia, in rebusq; gerendis  
singulari dexteritate facile promeruisset, ut regnum  
Hungariæ obtineret, ac ita ueluti nouus homo, quæ-  
admodum appellabant ueteres, primus in familiam  
suam splendorem regum adtulisset, adscita in matri-  
monium Isabella, quæ & ipsa in domum, Regibus  
& Principibus magnis clarissimam genus referebat:  
Hic noster Princeps singulari sua fortuna hoc conse-  
cutus est, ut Rex Hungariæ nasceretur non fieret,  
esset ab ipsa statim infantia, non crearetur: qua quidē  
re, ijs qui ad rerum publicarū gubernationem eue-  
huntur, nihil potest contingere magnificentius, ni-  
hil commodius, nihil etiam ad benè merendum cō-



omnibus efficacius. Nam & dignitatem in se ha-  
bet eximiam, & tacitam omnium secum trahit bene-  
uolentiam, si ad Imperium natus aliquis, non inua-  
fisse illud uiolenter, non largitionibus emisse, sed ue-  
lut de manu in manum, hereditatis optimo iure tra-  
ditum, accepisse iudicetur: Ut illud pluribus non de-  
monstrē, non aliud aliquid facile maiores ad virtutē  
colendam admouere stimulos, quam si perpetua pa-  
ternæ virtutis admiratio, matura in deliberando pru-  
dentia, alacris in rebus gerendis promptitudo, singu-  
laris item in augendo & ornando regno solertia &  
industria, ob oculos uersentur. Qui fieri enim po-  
ssit, ut cui Senatus, cui Tribunal, cui parietes ipsi,  
quoquò circumferat oculos, Patrem ubiq; referant  
& inculcent, is non uehementer erga omnes ingra-  
tus, sacroq; Regis nomine sibi ipsi etiam quam ma-  
ximè uideatur indignus, si ab illius institutis, quæ  
quidem secundum Deum sint, uel latum unguem  
discedere, eundemq; in Reipub. procuratione ani-  
mum non seruare deprehendatur? Sic itaq; existi-  
mandum est, id quod & Plato sapienter dixit, In bo-  
nos viros euasisse multos, eò quòd ex bonis nati es-  
sent, ob id primam laudem deberi generis nobilita-  
ti: secundam educationi & discipline. Verum enim-  
uero nobis, qui ueram pietatem profitemur, altius  
attollendi sunt oculi, & ad Dei consilium referenda  
hec omnia: qui ut regnorum periodos pro arbitrio  
definit, ita & Regum & Principum uitam in manu  
sua habet: & prout rebus humanis expedire censet,  
ita eos uel magnos uel humiles efficit: nunc fortunæ  
reflantis permittens iniurię: nunc extra omnem ip-  
sius aleam longe ponens, sic, ut sapientissima ipsius  
prouidentia vix alibi luculentius se conspiciendam  
offerat



offerat, quam si in gubernationem istam Imperiorū  
quis defixos teneat oculos. Mihi quidem, cum at-  
tentius mecum reputo, quæ de prima Regis huius  
nostri infantia in literas relata sūt, ita libet existima-  
re, Deum certissimis argumentis ostendere uoluisse,  
qua uite conditione ille esset futurus, quidq; sibi de  
eo Hungaria uniuersa, ac fidelium præcipue Ecclesia  
policeri deberet. Nam ut generosæ arboris etiam  
planta ipsa cum fructu est: Ita illius adhuc pueri,  
imò uerò planè infantis fortuna, benignè multos  
consolari potuit, ut cogitarent Deum non planè cu-  
rā populi illius abiēcisse, cuius in tristissima illa clade,  
qua cum Budensi Ciuitate pulcerrima Hungariæ  
pars in hostium uenit potestatem, uoluerit conser-  
uare Regem, eumq; infantem, cui quamuis Regnū  
minus multò quam antea fuerat, relinqueret Tyrā-  
nus, spem tamen emergendi non planè amputauit:  
Et, qui ab exilio & fuga vitam hanc mortalem fer-  
mè auspiciatus sit, eum ad Imperium euectum, gra-  
tissimum longè & dulcissimum Ecclesiæ in mundo  
hoc exulanti, præbiturum esse hospitium, Id quòd res  
ipsa satis declarauit. Ochosie filium Ioam, Regem  
Iuda, narrant Hebræorum literæ, surreptum è  
media cæde, opera Ioabæ amitæ, in domo Domini  
clam fuisse educatum, ut impiæ auie Athaliæ, in  
sua ipsius viscera grassantis, furorem effugeret, qui  
deinde Baalitici cultus detestatam superstitionem  
maiore ex parte, euersis aris & lucis, profligauit, ac  
aliquam ueræ pietatis imaginem in regno restituit,  
Periturus & ipse, procul dubio, nisi fœderis sui habi-  
ta ratione, ut dictorum constaret ueritas, Deus  
conseruare uoluisset Dauidis posteritatem, ex qua  
nouis-



novissimis temporibus educeret virum illum, qui  
collapsum Israël regnum instauraret. Similis fer-  
mè & nostri Regis fortuna fuit, eoque admiratione  
dignior, quod non cognatorum opera, è crudeli-  
bus barbari Tyranni manibus clam surreptus, inque  
regni spem nutritus est, sed in ipsa acie periculi po-  
situs, & inter manus immanium Turcarum gestatus  
eam propitij numinis sensit, benignitatem, ut  
preter matris afflictissimæ spem, preter Hungariæ  
squalentis expectationem, preter omnium denique  
hominum opinionem, non modo saluus euaderet;  
Verum etiam pro hoste amicum, pro aduersario  
patronum, pro Domino Patrem, denique pro lupo  
hominem experiretur eum, cuius efferatæ crudelita-  
tis non pauca, tam in Turcos ipsos, quam in alios  
etiam, exempla possunt commemorari. Quis ad-  
mirandam hanc clementis Dei bonitatem non ex  
animo suspiciat & exosculetur, qui pro suis adeo  
excubat sollicitè, ut vel hostium ipsorum opera sub-  
leuari eos ac seruari curet potius, quam ut desertis  
illis, fidem suam in dubium venire, mundoque scele-  
rato, & oculorum nimis quam hebeti acie omnia  
metienti, suspectam fieri patiatur? Nec satis fuit  
in Turcarum uenisse potestatem, nisi & Patria per  
factionem paulò post eiectus, peregrino cælo ad-  
suescere, ignota lingua loqui, alieno uiuere arbitrio,  
ac denique è regni fastigio ad seruilem penè conditi-  
onem redigi, idque in ea ætate, qua uix alia ferendis  
iniurijs existit mollior, addisceret. Quo sui exilij tem-  
pore, etsi amisso iam antea patre, ea felicitate frui ne-  
quaquam posset, quam Agasticles Spartanorum Rex  
cum primis predicabat, ut uidelicet eorum esset di-  
scipulus



Scipulus, quorum fuisset filius: Tamen matris sum-  
tu & cura, ac bonorum uirorum diligentia sic fuisse  
institutum sequens ætas demonstrauit, ut neq; bel-  
li artes, aliasq; magno Principe dignas ignoraret:  
neq; latini etiam sermonis promptam desideraret fa-  
cultatem, neq; de temporum suorum iniquitate,  
quantum quidem ad literas attinebat, admodum que-  
ri posset. Hic iam lectorem intendere uelim mentem  
ac temporis illius intueri imaginem, quæ si à me de-  
scribi pro dignitate, aut suis coloribus pingi posset,  
magnos omnino in legentium aut spectantium ani-  
mis relictura esset aculeos. Mater, Regina quidẽ  
sed uidua, sed exul; filius infans, & ipse quoq; Rex  
natus, ac in regni spem à Solimanno ipso conserva-  
tus: quod exemplum barbaræ humanitatis adeo ra-  
rum est, ut uel hoc uno nomine uideatur relictum  
esse, ut in literas relatum, Christianis Principibus  
exprobret immanem illam truculentiam, quam in-  
uicem exercent, dum ob leues offensas, non in sub-  
ditos modo innocentes grassantur; uerum etiam in  
uniuersam hostis familiam ita sequuntur, ut hoc unum  
sibi habuisse studio demonstrant, ne qua gentis toti-  
us, quam excindendam sibi desumerunt, si ipsis in  
manu sit, uel leuissima extet memoria. Filius in-  
quam, Rex quidem, sed una cum Matre exul, à re-  
gni non possessione tantum, uerum & finibus procul  
relegatus, ne quid infelicitatis cumulo deesset: Quæ  
tum recuperandi regni huius uel minutissima potuit  
concipi suspicio: quæ opes, quæ auxilia, quæ presi-  
dia: quibus destitutæ spes quantumlibet firmæ, la-  
bascere tandem coguntur. At uide, queso, ad-  
mirandam Dei sapientiam, qui nisi multis hisq; diu-  
b.



turnis calamitatibus exercitatum, ad regni paternæ hereditatem euehere noluit, ne malorum expers pueritia, alienæ miseriæ imperita fieret æstimatrix. Postq̃ itaq̃ Deo sic visum est, ut qui ab alienis, ijsq̃ hostibus defensus, à suis autem eiectus & repudiatus esset, postliminiò tandem in regnum reduceretur, ac paternorum bonorum possessionem, multis iam annis desideratam, adiret: postq̃ commutatis hominum studijs, post multas patriæ calamitates, post grauissimas exactiões, post seruitutem non leuem, ad natum regem suum Hungaria respicere cepit: tum demum apparuit manifestè, quanta de pueri Ioannis indole in omnium animis esset concepta spes, quanta uirtutis ingenitæ existimatio, quamq̃ egregia uniuersi populi erga illum uoluntas extiterit, cum bellicosa natio, uel sub infantis Regis nomine, muliebri imperio parere maluerit, quam aliorum, quantumuis & rerum usu plurimo, & militaris rei laude excellentium, consilijs gubernari: nunquam factura, nisi de Ioannis secundi imperio, iam olim faustissimum omen præcepisset. Admiranda hæc Dei consilia, ut à mundo nec obseruantur nec magni fiunt: ita nos ad pietatem cum primis excitare debent, ut gratis animis ea consideremus, ac in laudem gloriæ eius officiosè celebremus. Matthiam Hünnyadem si paternæ uirtutis splendorem remoueas, humili loco ortum adolescentem, ex Boemici carceris squalore ad Hungarici regni dignitatem euectum esse legimus, quòd ipsum eximiæ eius indolis, & Hungariæ gratitudinis erga Huniaden iam mortuum locuples est testimonium. At si Ioannis secundi fortunam inspicias, non paulo plus  
repe-



reperies, quòd non admirationem modò summam,  
uerùm & stuporem tibi possit incutere. Matthias  
regia fortuna nuncq̃ fuerat usus, eòq̃ ipso minus ob  
noxius inuidiæ: At Ioannes in regni spem natus  
à possessione illius semel iam depulsus & profliga-  
tus erat, adeò ut ad externum aliquem rerum sum-  
mam delatum iri, certius multò suspicari licuerit, quã  
illum reuocatum iri, quem aut priorum iniuriarum  
memoria, aliquando ipsis infensorem reddere, aut si  
delicti gratiam faceret, querelæ maternæ, quem se-  
xum uindictæ uehementer esse cupidum non igno-  
rabant, ad ultionem expetendam, tum minis, tum blã-  
ditijs poterant extimulare, nisi Dei intercessisset con-  
siliu, qui, ut ita fieret, non tunc primum apud se de-  
creuerat. Reuocatus itaq̃ est incredibili omnium  
ordinum consensu & uoluntate, sic, ut in ambiguo  
etiamnum sit, utrum plus ignominie & mœroris pri-  
or calamitas, an dignitatis & uoluptatis, tum ma-  
tri tum puero Regi, inexpectata attulerit restitutio.  
Quòd si Romanus ille Orator de se scribere non du-  
bitauit, Italiæ gratulantis humeris ab exilio se repor-  
tatum esse: de nostro hoc rege eò maiore omnium  
admiratione idem dicere licebit, quò certius antea  
de illius meritis & eximia illa in Repub. procuran-  
da uigilantia, documentum Romani acceperant, cū  
in hoc præter indolis regie spem, & paterne fortune  
omen, per ætatem nihil adhuc conspici posset, quod  
ad animorum conciliationem aliquid facere uidere-  
tur. Ac hæctenus quidem uelut sub pædagogo,  
ad regni potentis obeundam administrationem, ad  
maximarum curarum pondus sustinendum, & ad  
imminentium periculorum repellendum impetum



intra priuatos parietes educatum Principem paucis ostendi. Venio iam ad ea, quæ instituti huius sunt propria, quorumq; causa hic mihi susceptus est labor, ut uidelicet ostendam, eum nec regno hoc fuisse indignum, & de religione Christiana ita meritum esse, ut nulla unq; uetustas maximorum ipsius beneficiorum memoriam, apud eos quidem, qui ueri Ecclesie Dei sint filij, sit extinctura. Pythagoricos legimus, uiros innocentes, & inter alias sectas, saniores, tria in rege bono, qui quidem perfectus esse uellet, requirere solitos, ut & imperare prudenter, & iudicare incorruptè, ac Deos quoq; colere religiosè sciret. Non enim existimabant, eum foris posse clarum ac celebrem fieri, & regni sui fines ac populi tranquillitatem, quæ cum primis bono Regi curæ debet esse, tueri: nisi bellicarum rerum aliquem usum consecutus, imperatorijs artibus adsueuisset: aut domi etiam boni regis functurum officio, qui iudicia, leges patrias, æqui & iniuri discrimen, aliaq; eiusmodi, quæ ad iuris dicendi scientiam pertinent, ignoraret: aut felicem deniq; futurum, nisi Deorum primum pacem exposceret, in eorūq; cultu ea, qua par esset, religione & pietate uersaretur. Hæc uerè & prudenter ab illis esse iudicata, docet ipsa experientia. Quis enim, ut nostri quoq; seculi mores sunt, magni illum regis appellatione dignetur, qui ne semel quidem arma induerit, aut in acie hostem uiderit? Quis bonum appellet, sine iuris & æqui cognitione, non tam hominem quam hominis simulacrum. Quis felicitatem aliquam, quis pacem, sibi promittat, sub eo rege, cui aut Deum esse nondum sit persuasum, Aut si sciat, cultus tamen & ueneratio illius



illius parum aut nihil omnino sit cordi? Fuerunt  
hec in Ioanne secundo omnia, & ita fuerunt, ut pul-  
cerrimæ uirtutes plurimæ ad unum hunc regem or-  
nandum uelut conspirasse uideri queant. Ac de  
imperatorijs quidem illius artibus prolixè me uerba  
facere, qui in Scholarum umbra enutritus, uix tube  
unq̃ audiui sonitum, cum ridiculum foret admodū,  
tum à religione quoq̃ nostra uehementer alienum.  
Aliorum hoc esto iudicium. Periculum enim fue-  
rit, ne, si ultra crepidam, quod aiunt, sapere uelim,  
in Hannibalem aliquem incidens, non minus illi ui-  
dear ineptus Phormione Philosopho, qui corā An-  
tiocho, præfente ipso, de militaribus rebus dfferens  
copiosè, Sapientem suum uolebat optimum esse Im-  
peratorem. Quæ autem legum & iudiciorum  
cognitionem spectant: in ijs eò progressum fuisse  
Principem nostrum, ut raræ admodum de iniqua  
ipsius sententia, etiam improborum hominum, que  
relæ extiterint, in confesso apud omnes eos esse pu-  
to, qui gubernationis illius uel iuuerunt consilia, uel  
alioqui diligentius sibi in ea inquirendum esse puta-  
uerunt. Vix enim eiusdem hominis esse uidetur,  
Sapientum virorum, qui de Reipub. administrati-  
one multas præclaras cogitationes literis mandarūt,  
scripta legere diligentissimè, id quod ille fecit assi-  
duè, & ius ita dicere, ut uel à commoto animo pro-  
fecta, uel ex misericordia præter æquum mitigata:  
Deniq̃ cū legum iniuria lata uideatur sentētia: quan-  
tū in ista ætate Principum animi uel maximè sint er-  
rori obnoxij, præcipuè si inter ministros sint, qui  
iuuenilem animum ad persequendas cupiditates, ali-  
qua uel potestatis excusatione, uel delicti elevatione



uel iuris etiam prætextu extimulare non uereantur,  
quemadmodum Arianus de Anaxarcho Philoso-  
pho scriptum reliquit. Cum enim Alexandrum  
ob animi impotentiam, quando & iræ, & vino succu-  
buerat, sui pueret admodum, adeò ut mœrore se  
confecturus existimaretur, Philosophus ille, pròh De-  
um immortalem, quam non philosophicè, hoc ipsū  
nomine consolatus est, Quòd regum facta nemini  
liceat repræhendere: Ideo enim Iusticiam Iouis & fi-  
liam credi & adsidere tribunali, quod in Regum e-  
tiam iniusta facta neminem deceat inquirere. Sed ut  
Deorum consilia & opera extra omnem humani iu-  
dicij aleam ponuntur longissimè: ita etiam sacrosan-  
ctum, iustum & bonum censerì oporteat, quidquid  
à regibus proficiscitur. Vox Cyclope dignior  
quam Philosopho: Quæ à rege, suapte sponte satis  
insaniente, excepta, quantam illi ad flagicia non fe-  
nelstram, sed ianuam planè aperuisse existimabitur?  
Conflictari itaq; cum ingenijs eiusmodi, & ad ne-  
quiciam non abduci, non est animi uel imperiti uel  
inconstantis, sed ostendit hominem, qui uitæ suæ  
possit tenere modum. Quanc; aut singulari Dei  
munere, Principi nostro hoc contigerit, ut cum uiris  
integerrimis uersaretur quotidie, & prudentum homi-  
num sapientia audiret & disceret consilia, unde di-  
fficiior futura erat illum corrumpendi uia, si qui ma-  
ximè in id incubuissent: Tamen uel præcipuè fre-  
quenti bonorum scriptorum lectione adiutus est, ut  
uitæ recte instituendæ certam apud se haberet ratio-  
nem. Sapienter enim & uerè dixit Demetrius  
Phalereus, nobilis Philosophus, cum Ptolomeum  
regem ad lectionem librorum de Republica, inui-  
taret:



75.  
taret: Multa in libris perferri, de quibus amici Re-  
gem interdum monere non auderent. Et efficit  
quodammodo plus, scripta olim, etiam asperior ob-  
iurgatio, quam presentis amici, quantumvis mollis  
admonitio, Eò quod hic affectu aliquo ad castigand-  
um uideatur duci, & pudor quidam, monitoris li-  
beram uocem ut plurimum comitari solitus, facile  
impetret, ut grauius, quæ dicuntur, accipiamus: Vn-  
de & in auribus apud Herodotum, habitare dicitur  
animus: Ille uerò, cuius uel acerbam & atrocem ex-  
poltulationem in literis expressam legimus: nec er-  
roris nostri, nec dignitatis fuisse conscius, ideoq; ni-  
hil minus, quam nos irritandi animum adscribendū  
attulisse credatur. Siue autē domesticæ familiarium  
consuetudini, siue liberis sapientum uirorum, qui  
consilijs suis administrationem regni huius multos  
iam annos fideliter sustinent, uocibus, siue etiam  
mutis, quòd aiunt, magistris, & iugi lectioni debe-  
mus hoc, quòd Regem habuimus togatis artibus nul-  
lo æqualium inferiorem: Dei id bonitati totum &  
ex asse transscribendum est, qui politica gubernati-  
one indignum uideri noluit eum, cuius auspicijs pul-  
cerrimam Hungaricę nationi lucem inferre decre-  
uerat: Ut in tot amplissimis regnis, tot florentissimis  
omnium gentium & populorum Christianorum re-  
bus pub. vnica Hungaria, eiq; coniuncta Transyl-  
uania posset exhibere & ostendere Ciuitatem unam,  
in qua profligatis Romani Idoli abominationibus  
plerisq; & Dei uera doceretur agnitio, & Iesu Chri-  
sti, filij ipsius, predicaretur dignitas, idq; publicè, re-  
motis omnibus aduersarum partium factionibus.  
Quòd beneficium, nulli alij regno, quantū quidem  
ego



ego sciam, concessum, Utinam gratis animis ample-  
ctamur tandem, ac uitam professione Christiana di-  
gnam instituamus. Certè eorum, quæ in felici  
gubernatione requiri possunt, nihil est quòd in Io-  
anne secundo merito desideremus, si modo ad con-  
silia ipsius magis, quam ad euentus oculos atq; ani-  
mum referamus. Patriam enim ea caritate com-  
plexus est, ut pro eo ac par fuit, omnia consilia sua  
& deliberationes, ad unam illius utilitatem referret  
libentissimè: Nihil æque auersatus, ut studia eorum  
diuersa, quos ad gubernationes certas, ut regni sui  
curatores, delegerat: quæ res argumento est, eundè  
illum hac in re habuisse animum, quem in Alphon-  
so sapientissimo rege Neapolitano fuisse Pontanus  
refert. Is enim dicere solebat: Si per religionem  
liceret nouos Deos fingere, se ante curiæ ianuam,  
ubi de Reipub. deliberationes consueuerunt sus-  
cipi, Ioui Positorio aram erecturum, ad quam Cõ-  
siliarij, anteq; in Senatum uenirent, priuata studia  
& similtates deponerent. Cumq; inter regias  
uirtutes summam laudem mereatur clementia, cum  
grauitate aliqua temperata: Principis huius tanta  
ad eam fuit animi propensio, ut à multis mitior eti-  
am, quam pro facinorum atrocitate fuisse perhibea-  
tur. Certè exempla non pauca monstrari possunt,  
quæ liquidò ostendant, adeò illum à sequitia extiti-  
sse alienum, ut in confessis delictis, uitam donarit  
plurimis, & è iudicij periculo eripuerit eos etiam, quo-  
rum machinationes, si progredierentur, uel ipsi pu-  
dorem, uel Reipub. detrimentum ingens fuerant  
allaturæ. Quòd eò est admiratione dignius,  
quo frequentius ille cum sequissimis, idq; diuturnis  
admo-



admodum morbis fuit conficiatus: quo uix reperias  
malum aliud, ad exasperandam ingenitam quoq; a-  
nimi lenitatem & mansuetudinem accommodatius:  
Vicissim tamen ingentes illas difficultates patientia, &  
de pristina sua clementia planè remisit nihil, sic, ut  
hac occasione moderatior etiam euaderet. Quin  
erga peregrinos quoq; homines, siue illos exilij no-  
mine, siue doctrinæ aliqua opinione commendatos,  
eam ostendit humanitatem, ut & ad colloquium ad-  
mitteret facilimè, & admissos audiret placidissimè,  
quam mansuetudinem in minoribus magistratibus  
multi sepe desiderarunt. Adde huc singulare  
castitatis & innocentiaë studium, sermonem uerecun-  
dum, & pro animi integritate, uictus quoq; ratio-  
nem temperatam admodum: quæ diligentia, ut lau-  
de digna est: ita apud nostri temporis Principes per  
quam inuenitur rarò, quibus luxus ex professo bel-  
lum denunciasset, uirtutemq; illorum sibi expugnan-  
dam desumpsisse, non iniuria uideri possit. Deniq;  
ne singula persequar, Eum sese exhibuit, in tota ui-  
ta sua, qui non inodo secundum leges de alijs iudic-  
care tantum, uerùm etiam ipse iuxta earum præscri-  
ptum uiuere sciret, Non ignarus, Regum errata quo-  
q; ab imperito uulgo pro uiuendi regula sepius  
usurpari, Et de quo subditi ipsius gloriari, sequen-  
tibus uerò annis, si uita suppeteret, sibi omnia possent  
policeri. Nam & antea conceptam de se spem, cum  
summa laude sustinuit, Et qualis deinceps futurus es-  
set, Rex uidelicet, ex multis unus, qui nominis di-  
gnitati egregiè responderet, satis Illustrè dederat do-  
cumentum. Neq; autem hoc, ad minuendam  
gubernationis ipsius felicitatem quidq; facere arbi-



8  
tror, quod non suo planè, sed Turcici quoq; Impe-  
ratoris arbitrio multa gesserit. Nam si inane il-  
lud Turcicę seruitutis nomen adimas, quid in se res  
ea habuit, cur alijs populis, qui libertatem summam  
iactant, uideremur infeliciores? Nam quod à  
tributi, & nomine, & pensione aliqui abhorrent, id  
inde existit, quòd nō animaduertunt, duplo amplius  
per eos sepe Reges exigi, quos libertatis suę defen-  
sores, ac patriarum legum uindices ipsi esse uoluerūt,  
eoq; nomine ad Imperium euexerunt. Ceterū  
per Turcas nunq; stetit, quo minus nobis pax esset:  
Nullus unq; terror, nullum periculum, nullæ insidię  
toto regni illius tempore paratæ nobis ab ipsis fue-  
runt: Imò etiam, si quòd res est, dicere uelimus, ut  
socij defensi, ut amici ab illis adiuti sumus sepius.  
Quòd si iisdem conditionibus in posterum quoq;  
pacem ab illis redimere liceat, Non erit, ut ego qui-  
dem opinor, cur nos seruitutis huius admodum pe-  
nitere debeat. Verūm hæc in Dei manu sunt,  
qui cum sapienter suo consilio moderetur omnia, de  
nobis quoq; uel præ alijs curam fidelem susceptu-  
rus est. Quare his omissis aliò se nostra iam re-  
ferat oratio. Cū enim ex Pythagoricorum  
sententia tria fecerimus Regis boni officia: Impera-  
re uidelicet prudenter, & iudicare incorruptè: quo-  
rum illo Ioannem Secundum destitutum non fuisse,  
tacita omnium confirmant suffragia: Hoc uerò e-  
tiam excelluisse, nostra ostendit oratio: Reliquum  
est, ut quod tertio loco posuimus, nec Sacerdotem  
illum, uel negligentem, uel superstitiosum extitisse  
demonstremus. Ac primū quidem admira-  
tione dignissimum est illud, quòd in Iuuenili admo-  
dum



dum ætate qua matrem amittit, cum iuxta Xenophontis sententiam, inter Regem & Pastorem magnam esse similitudinem non ignoraret: quorum ut hic ex pecudibus probè curatis lac & lanam: ita ille è subditis, rectè institutis, fideliter defensis, studiosè locupletatis, præter uectigalia, beneuolentiam ciuium domi, foris autem gloriam & nominis honestam existimationem, fructum uidelicet laboris sui perciperet amplissimum: singulari animi solertia perspicere potuerit, & intelligere, unde dulcissimus ille regni administrati fructus, quam facillime posset comparari: Qua in re, etsi consiliariorum prudentiam libenter admiror, tamen, quin ad peculiarem benigni Dei curam istud referam, facere nulla ratione possum. Nam ut libenter concedo, illos longa experientia, & multiplici Historiarum cognitione instructos facillè hoc uidisse, si in Religionis cura regnorum felicitas non consistat, aliunde illam expectari nequaquã debere: Ita in tot, tamquã absurdis de doctrina cœlesti opinionibus, ueram deligere sententiam, in eaq; defendenda omnem gubernationis totius prosperitatem collocare, non contingit ex humane facundiæ persuasionem, sed est opus prorsus diuinum. Quid enim in tanta sententiarum diuersitate, reperiat aliquis, præcipuè adolescens, qui tutè sequatur, ac ita quidem sequatur, ut alijs omnibus idem cupiat esse persuasum, nisi Deus gubernet deliberationes, & ueritatis suæ in animos imprimat testimonium, præcipuè, si ab incunte ætate falsis opinionibus imbutus sit, Quòd accidisse & huic nostro Principi, quando quidem regnabat adhuc Pape Tyrannis, non desunt qui testentur. Nullius



igitur istud hominis, sed unius Dei fuit opus, in aliam sententiam traducere illius animum, & efficere, ut abiecta superstitione ueteri, doctrinae diuinæ puritatem amplecteretur. Etsi autem ab infantia literas bonas, quibus religionis nostræ incorrupta custoditur synceritas, unice adamarit, cuius sui animi cum alia plurima, tum locupletiss. in nostra hac Schola reliquit testimonium, cum bonam redituum illorum, qui ex decimis proueniunt, partem, Reipub. Claudiopolitanæ, munifica & uerè regia liberalitate sit largitus, Vnde quotannis, & discentes alerentur commodius, & docentibus quoq; honesta darentur stipendia: Tamen eo præcipuè tempore generosus illius animus enituit, quâdo ingenti Dei beneficio, piorum hominum opera, abominandæ illæ Papisticæ superstitionis opiniones, quibus pro Deo uero, è tribus compositum numen obtrudebatur adorandum, in hoc quoq; regno, ceperunt propius cõuelli & labefactari. Cùm enim infelices hominum ociosorum speculationes ita inundassent in has Ecclesias, ut sanè pietatis ne mica quidem appareret: Ea q; de causa cum summa animi contentione, sicut in hodiernum diem fieri uidemus, multi se opponerent, qui tenebris adsueti, ueluti in Platonis specu uincti illi nouæ huius lucis fulgorem minimè ferrēt, ac, ne parum sciuisse uiderentur, omnia potius experiri, quam abijcere ueterem illam, quam à matre accepissent, tunicam, ut Fabij uerbo utar, ac emergenti ueritati herbam porrigere uellent: Inde factū est, ut difficillimus esset in hominum animis delectus, utros pro ueritate causam dicere pronunciarent. At uerò noster hic Princeps, diuinitus edoctus



21  
edoctus, & intellexit facile, quid uerum esset, & arripuit auide, & cum summa animi uoluptate desceps quoq; defendit. Cum enim lectioni sacrarum literarum adsueuisset à puero, ac mediocriter sibi familiarem fecisset scripturam, mox deprehendit illud: quæ præter Christi & Apostolorum phrasin, succedentibus seculis, impia curiositate, essent in Ecclesiâ inuecta, ea in ijs nequaquam esse numeranda, quibus salutis nostræ Anchora firmari debeat, Præcipuè cum aduersarij ipsi faterentur, Vocabula illa, quibus blasphemæ istæ noui dogmatis subtilitates, explicentur dicam an inuoluantur magis, In scriptis Apostolicis non reperiri. Magnum enim argumentum fuit, quarum rerum Spiritus sanctus appellationes inuenire non potuisset aut uoluisset, eas quoq; ab ipso per Apostolos Ecclesiæ Christi traditas non esse. ne dicam, quòd ipsa Ecclesiæ Historia originem, occasionem & progressum Idolomanie illius manifestè ostenderet. Accedebat huc, quod in eiusdem doctrinæ repurgatione, magna plaustra ineptissimarum locutionum, quas post ueteres illos, Scholastici doctores præcipuè inuexerant, ut in Lombardi ænigmatis leguntur, à Luthero & alijs abiecta esse cernebat, cum tamen ex eodem fonte hæc quoq;, quæ ab illis relicta fuere, manarent. Astutum illud fuit Satanæ stratagemma, hoc agentis, ut sub repurgatæ iam doctrinæ prætextu, ueterem suum de Deo labyrinthum muniret, rogata lege, ne quis de ea doctrinæ parte amplius sibi inquirendum esse existimaret. Verùm sapientia Dei hic quoq; Diaboli pudefecit malitiam. Nam cum uiderent cordati homines, optimo iure nugas illas scholasticas



cas reputatas esse, eo quod nec coelum, nec terram  
attingerent, ac in hoc ipsum uiderentur scriptæ ne  
quis se intelligeret: Interim autem legerent eorum-  
dem qui per signauerat, testimonia: Papam ex multis a-  
lis unam hanc de Deo Trinitate doctrinam retinu-  
isse incorruptam, quid quæso poterunt iudicare a-  
liud, quam aut causam ipsi, cur resecarent multa,  
nullam fuisse, aut inepta temeritate ab illis con-  
firmari imprudenter, quod re ipsa prius damnassent.  
Iliud suspicari non debuerunt, incurrente in oculos  
opinionum absurditate: hoc uero euasimodi erat, ut  
facile persuaderet, Dogma illud saluum esse non po-  
tisse, cuius omnes partes pessime effectaffecta, & de quo  
tam pugnantia eorumde hominum extarent iudicia:  
Quid quod omnes Papistarum de Logo, de gene-  
ratione ipsius ex Essentia Patris, de profectione Spi-  
ritus, de duabus Naturis &c. locutiones apud Pla-  
tonem, Plotinum, & alios Philosophos ad uerbum  
reperiri descripias non ignorabat: His, ut dixi,  
causis nostri Principis confirmatus est animus, ut per-  
spicua Sophisticis istius perplexitate, in eas ueniret  
cogitationes, uerisimile non esse, Deum, qui se coli  
ab hominibus ex toto corde uelit, eiusque cultus cer-  
tam formam prescripserit, de industria ita loqui uo-  
luisse, ne ab illis intelligeretur.

Quare nulla habi-  
ta ratione aut multitudine contradicentium, aut sup-  
pliciorum, que alij perulerant, & prius glaciem hac  
perfringere conari essent, quibusque doctrinam re-  
mementer grauari conuenit. Satanas, fallitatem Tri-  
nitatis illius aperte damnauit, libere quid sentiret per-  
fessus, & ad ueritatis defensionem magno se studio  
accinxit, Ea quidem alacritate, ut hoc unum uentus



existimari possit, ne quis aliorum Principum, hanc  
adferendæ ueritatis palmam ipsi præriperet. Quid  
enim ille non fecit? Quid non impendit, ut subdi-  
torum animi ab intricata illa & obscura Theologia,  
ad ueterem illam & si non Apostolicam, certè Apo-  
stolicæ proxima simplicitatem reducerentur? quas  
ille Synodos, quas Disputationes, tum in Vngaria,  
tum in Transsylvania, non instituit, ut explicari re-  
ctius ex dictorum collatione, mens scripturæ posset?  
ubi non adesse modò ipse uoluit uerum etiã arbitri  
partes sustinens, grauitè admodum superstitionis  
absurditatem confutauit, Non semel admonens ad-  
uersarios, ut hominum commentis sepositis, uere-  
cundius & castius in cœlestis doctrinæ explicatione  
uersari adsuescerent. Memini ipse, ac dum ui-  
xero, semper meminero, non eos tantum, qui ma-  
gnis laboribus, non minori etiã periculo, primum  
doctrinæ huius repurgationi in regno hoc manus  
admouissent: Verùm etiã alios cum ætate, tum  
doctrina ac iudicio longe inferiores, suam de reli-  
gione sententiam summa cum libertate apud eum  
pronunciare, ac benigne admodum audiri solere.  
Qui in messem Domini per Vngariam passim  
ad docendum ablegati sunt, qui studiorum causa  
uel Italiam adierunt, uel ad Germanos se contule-  
runt, ipsius pleriq; imò ferè omnes, experti sunt li-  
beralitatem & munificentiam. Ex eruditis quoq;  
& pijs uiris, qui alibi uiuunt, multos honesto pro-  
posito stipendio, in Trãssylvaniam euocauit, Ut tum  
literarum, tum pietatis quoq; melior constitueretur  
ratio, quorum alij alijs de causis uenire non potue-  
runt. Qui autem animum ab ea re abhorrentem o-  
stenderit,



stenderit, perpecta Principis huius benignitate, non  
puro fuisse quens. Arquid interim molestiarum  
ipse non pertulit; quas non iniurias tacite deuorauit,  
dum uel ipsum hostes doctrine impotenter crimina-  
rentur, uel de ministris Christi inaudita conginge-  
rent mendacia; Quam ipsam etiam iniuriam ad se  
pertinere habebat persuasissimum. Tolerantia  
men magno animo omnia, hac una fultus spe, quod  
progressuram tandem, quantumuis lente, ueritatem  
non dubitaret. Quod si ita Deo uisum esset, ut  
sicut in Claudio-politana, & alijs multis Hungari-  
cis Ecclesijs factum est, Ita e Saxonicis quoque ci-  
uitatibus Idola & superstitiones tollerent, Non esset  
causa, cur illum cum Ezechia, Iosia, ac alijs sanctis  
Regibus, qui summa fide in abolendo Idolorum cul-  
tu uersati sunt, non conferremus. Animum certe  
illi non defuisse, inuita etiam fatebitur inuidia. Ve-  
rum satis illi debet, esse quod primus omnium Regum  
exiit, sub cuius imperio & doceri cepit rectius,  
quam multis ante seculis fuerat factum, & progres-  
sus quoque mediocres fecerit Christi Euangelium, Ut  
ita patronus exulantis iam olim pietatis, ac cultus  
divini instaurator perhibeatur: quo nomine neque illu-  
stris, neque bono rege dignus, ullum unquam auditum  
est. Exemplum certe reliquit eiusmodi quod  
si pluribus regibus imitari libeat, facilis futura sit di-  
uinitio, Christianam rem breui tempore non paulo  
melius habituram. Verum ut optare hac om-  
nes possimus: Ita an sperare quoque debeamus, me-  
um non est pronuntiare. Ac de ingenio quidem  
pietate & munificencia, De uita & moribus opti-  
mi, & incomparabilis Principis Ioannis Secundi,  
quan-



25  
quantum quidem meo seruiebat instituto, hæc dixisse sufficiat: De cuius morte aliud non dicam, quam iussu Imperatoris Dei ita cum ex statione sua Colicis & epilepticis morbis confectum decessisse, ut subditis quidem omnibus luctum acerbissimum, Ecclesie uero Dei maximum sui reliquerit desiderium. Quantum enim in hoc Rege illa amiserit, euentus ipse declarabit luculenter, cum etiam nunc aduersarij ita attollant cornua, ut ad crudelitatem & immanitatem malus aliquis genius signum ipsis uideatur extulisse. Quæ res ut Ecclesie Dei noua non est: Ita hinc eò est indignior, quòd utriq; per sanguinem Iesu Christi, utriq; gratis utriq; per fidem, Imputationem iusticiæ nos consecutos esse gloriamur utrinq; Papæ hostes, utrinq; Euangelij instauratores professi: Interim tamen ob diuersam etiam sententiæ unius interpretationem, tam hostiles inuicem gerimus animos, ut à nullo Turca possimus dissidere acerbius nullum Tartarum, imò nec Diabolum ipsum possimus auersari superbis. Hoc scilicet est illud Christi præceptum sequi, Luceat lux uestra coram hominibus, ut uidentes bona uestra opera, glorificent patrem cælestem. Sed ferenda hæc sunt, dum misertus nostri Deus, acriores ad pietatem subiiciat stimulos, & torpentes animos Spiritu suo excitet: ita fiet ut pietatem non uerba tantum esse simus existimaturi: Sed fidem uerã & uitam Deo gratam, ad ipsius gloriã & omniũ hominum etiam infensissimorum hostiũ utilitatem cõparatam. Nostrum fuerit interea, quotquot à Romana Idolomania abhorrentes, Deo nostro in spiritu & ueritate, & uita innocente seruire decreuimus



nus, beneficium Dei, qui sub rege hoc aliquam doc-  
 trine libertatem, Ecclesie autem tranquillam con-  
 sit hospitium recte estimare, & sancti huius Prin-  
 cipis memoriam cum beneuolentia conseruare, utq;  
 in posterum quoq; sublaris dissensionibus ciuilibus  
 & subdito Magistru idoneo, prospiciat, ne  
 quid Respublica hac capiat detrimenti,  
 nosq; robore & constantia munit, ne ue-  
 ritati diuine coram Mundo hoc testi-  
 monium reddere ueremur, ex to-

(\*) to animo precari. (\*)

**E** ΠΙΤΑΘΙΟΣ ΑΝΤΟΣ ΕΙΣ ΙΝΑΝΗΝ  
 του δευτερου πασιων βασιλεα  
 καινολατου.

βασιων βασιλεως, πολυφοβου κοισαυος καισ,  
 Ητιο Ιαλυιασ τονοικα καλον εχει,  
 Εχτος ενυερχασ αρχαου σεικατος ηρωσ  
 ω λαου τουτ ου σκνηρησ πορλασ ε θεοσ,  
 Ευβαλ εβακε δεικασ πολησ υλοσ καισ αβθεσ  
 Τηδε σ ιδηροφρονησ δει αλομενοσ.  
 Ου τυκλον βρηνοσ, Αρετη κελευα λητορ ε βυκω.  
 Τηρε, ου κλονσ υλοσ καισ υλοσ τησ Χοροσ  
 Ουδεο ηρετε ηροφθεων αλοσ Βροιλωσ  
 Ραυτοισ αρετω κεισ εδ ελεβε Βινυ.  
 Εικ λασσ αλοσ τοισι φερεσ ποληκεια εδ υα  
 Του Βροτο ληλοσ Αρησ ηυχεσ υλοσ εχεισ.  
 Εισε Λικη, (ηυσο βουχησ, κοσησ ε κελοτασ  
 Ουτοσ κησ ηυχεσ ποληκεια εδ υα.



εἶδε καλὸς τέχισσ φιλέειν δ' ἄρ' ἠψυχοῖσ  
 κλειτὸς οὐ γὰρ τιμοῖσ μισσιφίλοισι κέρυ.  
 εἶδε φέρει χριστὸν γινῶσισ σωτῆροσ ἑωαννῆ.  
 ἢ φρεσὶν ἐγκρύψασ εὐσεβείασ, ἑμαθεῖ,  
 Ἀρχόντων μὲν τὸσ οὐ πείροχοσ ἑωλετ' ἄλλω  
 οασον ὑπερβάλλει μῆλισ ἀσφαδικῆ.  
 Πρῶτοσ δ' ἦν βασιλέυσ, τάχα καὶ γε πανύσατοσ ἑσαθ  
 Στήθεσιν οὐ καθαράν ἐρθετο πῖστιν ἐπίσ  
 Ωμάκαρ, ἄσ χαλεπὸν πολέμοιο πέφυγασ ὀλίγο  
 λυσιμελίστε πόνουσ ὠμὸβόρουσ τε νόσοσ.  
 Ἡμῖν δὲ στοναχάσ τ' ἐλίπεσ καὶ δάκρυα λυγρὰ  
 Ἀνδροφονουσ ἐχθρῶν ἐσοροῦσι χεράσ.  
 ἐχθρῶν θρηκίω, τῶν ἐν κραδίησ σίδηροσ.  
 Καὶ σθένουσ ἀπὸνδλοισ ἐν παλάμησιν ἐν.  
 οἴτινεσ οὐ πῖσσοῖσιν ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντεσ  
 Ἡμετέρουσ εἰργεῖν ἀμφαγαπῶσι πωδίασ.  
 ἀλλὰ μάτηρ στένομεν, θεὸσ ἐστιν ὁ ῥόβλομ ἐλάυνω.  
 Κεντισθεῖσ ἡμῶν τῆσιν ἀτασθαλίασ.  
 ἔν νόομ εἰσ ἀγαθὸν ταχέωσ στρέψαμεν ὁπίασα  
 Ρεξαντεσ καθαρῶν ἔργα δίκαια χερῶν:  
 αὐτόσ ὁμῶσ θεὸσ ἀργαλέησ ἐπιλήσεται ὀργῆσ  
 Εὐχομένοισ ἀγνώσ πάντα χαρῖασ ἀμενοσ.



# Epitaphium Ioannis

SECUNDI REGIS HVNGARIAE

IN VLTIMI

**P**ANNONIAE Princeps & regni diuitis  
 Dacus Iazygij, qua colit arua soli:

d 2.

Ultimus



28.  
Ultimus existens antiqui stemmatis heros  
Cui Deus Hungariæ sceptrum ferenda dedit  
Hic posuit corpus, morbis superatus acerbis,  
Intulit ut sequam ferrea parca necem.  
Cuius nunc seruat cineres mæstissima Virtus  
Et lacrimas fundit Calliopea suas.  
Nullus enim regum, quos noster uiderit orbis  
Virtutum tantas cœlitus hausit opes.  
Si decus & laudem mortalibus arma pararunt  
Sanguinei Martis filius ille fuit  
Si Ioue nata bonos Reges Astræa coronat,  
Iusticiæ cultor sedulus ille fuit.  
Si peperit stabilem Musas coluisse fauorem  
Mecenas studijs unicus ille fuit.  
Si meruit laudem querendæ cura salutis  
Illius hinc ingens sollicitudo fuit  
Hinc alios tantum Reges supereminet omnes  
Vincere quam Titan aureus astra solet.  
Primus erat Regum fortassis & ultimus idem,  
Cuius synceram lingua professa fidem est.  
Fœlix cui licuit tantos uitare tumultus  
Non iam cura animum membræue morbus edis  
Liquisti nobis gemitus, lacrimosaq; uota,  
Ante oculos quorum possidet hostis agros.  
Hostis Threicius, cuius sub pectore ferrum  
Stridet, in immiti uisq; superba manu est.  
Cui iocus est Christi cætus mactare fideles  
Et captos ferro stringere posse pedes.  
Sed frustra querimur, ferulam Deus extulit ultor,  
Ut crimen nostrum premia iusta ferat.  
Si mentem admoueat pietas melioribus ausis,  
Et faciat nullum dextera iusta scelus.



Ipse quoq; accensam cohibebit protinus iram  
Auditaq; ferent, quod uoluere preces.

## Aliud.


**M**ole sub hac claudunt Ioannem fata Secundum  
Vitae futurae conscium.  
Principe quo tellus florebat Pannonia, seque  
Laetam ferebat plurimum:  
Illius auspicijs virtus generosa pudicum  
Tellure sustulit caput.  
Illius auspicijs Pietas reuocata, serenam  
Lucem tenebris intulit.  
Utque sui Christo, fecit, reddantur honores  
Suique reddantur Deo.  
Da Violas tumulo, flores asperge uiator  
Dic: ossa molliter cubent.  
Neu mala lingua queat sanctos incessere manes  
Largum foco Thus iniice.  
Quidquid ad imperij splendorem maxima virtus  
Et Principum cura addidit:  
Siue triumphatos populos quis Marte subegit  
Armisque fines protulit:  
Siue togae laudem meruit bonus arbiter aequi  
Iusteq; rexit subditos,  
Prestitit hoc uno Generosus nomine Princeps  
Summaque complexus breui est:  
Dum studuit ueros pietati reddere cultus  
Idola Papae exterminans.  
Sed rapuere tamen Ioannem fata Secundum:  
Quis est futurus tertius?



30  
PIETAS EXVLANS.

Ioanni Secundo Ele-

CTORI REGI VNGARIAE.

 (Iutem  
**Q**UAM legis, hanc exul Pietas tibi mitto sa-  
O Princeps Regni gloria uera tui.  
Cuius in eximios æternum seruat honores,  
Frondis Apollineæ sacra Thalia decus.  
Ne rogo mireris, crebram mea charta lituram  
Quod gerat, hæc fletu facta litura meo est,  
Hæi mihi quo ueteris fugit pietatis imago  
Tempore qua prisco conspicienda fui.  
Tunc ego uel Regum poteram ridere tumultus  
Tunc omnes poteram spernere læta minas.  
Candidus ex humeris mihi dependebat amictus,  
Illa meis uestis moribus apta fuit.  
Non mihi mille fluens uariabat palla colores  
Nec picturatos nouerat illa sinus.  
Non scelerata suas prodebat Hypocrisis artes  
Ambitiouæ operi pestis iniqua meo.  
Nullus habebat adhuc, nec uiderat gra Sacerdos,  
Esse pium, solas quisq; putabat opes:  
Ast ubi iam regno peram mutare licebat,  
Et baculus sceptri maluit esse loco,  
Ante fores templi pro Scorto iussa sedere  
In cultu Pietas uersicolore fui.  
Visa tamen multis interlucere metallis  
Portio de niuea quantulacunq; stola est.  
Nomi-



31

Nominis ut sancti possessio prisca maneret:  
Dicerer & mores firma tenere meos.  
Sed quia succreuit fitis implacabilis auri,  
Imperijq; noui frena secutus Amor:  
Amplius ad cultum stolidus mihi contulit Error  
Vt uaser attraheret Regna Ducesq; dolus.  
Si me tum uideas, iurares Psittacon esse,  
Aut, alia à pennis si qua superbit auis.  
Impatiens fraudis tandem (quis talia ferret?)  
Deserui tacito templa prophana pede.  
Excussiq; graues in primo limine uestes  
Et turpes saliens eluit unda genas.  
Cæca superstitio proiectum senserat aurum  
Protinus exuias induit illa meas.  
Seq; mea postquam sublimem sedelocasset  
Pro uero subiens numine culta fuit  
Eximijis faciem gemmis contacta solebat  
Luminis effossi dissimulare notas.  
Illa nouos etiam populis indicere cætus  
Ausa supercilio Diua proterua suo est.  
Pluribus illa etiam statuit sacraria Diuis  
Et sua sculptilibus templa manere iubet.  
Pro mercede locat cœlum: mercede redemptis  
Patratum media donat in æde scelus.  
Pro mercede Deos uendit: periuria soluit  
Vtq; reo pænas mitiget, æra petit.  
Hinc sibi magnifico struit alta palatia fastu  
Amplaq; de quauis gente tributa capit.  
Regibus æqua uagus præbet spectacula circus  
Si quando tenerum protulit illa pedem.  
Croesus erat pauper, si quisq; conferat illi  
Immensas diuæ luxuriantis opes.

To p... ..



Et tamen occultat fucō pietatis auaras  
Et fictis lacrimis in'idiōsa, manus.  
At cum sacra parat tacito piger ore sacerdos  
Et sua missifico murmure labra mouet .  
Tunc ostentat opes: tunc laxis pallia rugis  
Ventilat, & tumidos blandior aura sinus.  
Tunc Comites lateri iungit, qui uerba secuti  
Alternis referant, quæ canit ille, choris.  
Qualis in Ausonium laudatus Roscius olim  
Aut grauis Aesopus creditur esse forum.  
Tunc resonant latè mugitu templa, nec ulli  
Intellecta sonum barbara lingua facit  
Interea Populus ferales audit Epodos  
Signatus uaria pectus & ora Cruce .  
Et stupet ut iussum cùm fundit ab ore uenenum  
Serpens, aut Lunam carmine ducit anus.  
Sed tamen hic minimum committit criminis error  
Ac sperni forsā scenica sacra queant .  
Doctriņę uitians scelerata audacia fontes,  
Turbida pro puris toxica præbet aquis.  
Has queror insidias, his artibus exulat olim  
Saluifica fugiens cùm Pietate Fides.  
Hinc mihi perpetuus corrumpit lumina fletus  
Hinc mihi cura meum rodit acerba iecur.  
Tempus erat tandem Nos Nos in scepra reponi  
Hęc uoti Princeps optime summa mei est .  
Spes erat his forsā placide confidere terris  
Sed mihi uix aliquem suspicor esse locum.  
Dira superstitio captatas possidet Vrbes,  
Non sinit illa meas pondus habere preces.  
Nuper ubi in cætu pro tempore pauca referrem  
Vsq; etiam uerbis posset in esse meis,



33

Illā, ciens subito uacuis stridentia cannis  
Aera, meæ clausit perfida uocis iter:  
Ad numerumq̄ uocans spirantem leniter auram  
Impulit ad molles cymbala facta choros.  
O utinam pereat pietatis Hypocrisis hostis.  
Anne Deus muto gaudet ab ære colit̄  
Hoc quondam strepitu sisti fugientia Lunæ  
In media narrant cornua posse uia,  
Viderit hoc autor: certè scriptura refellit  
Quæ mentis clamat poscere uota Deum.  
Quid quod & insanis regerunt conuicia rixis  
Quos penes auxilium par fuit esse mihi?  
Cum iubeo patrum lutulentos spernere riuos  
Utq̄ sua ex ipsis fontibus ora rigent,  
Non aliter pugnant, quam cum protractus in auras  
Restitat Herculeos Cerberus ante pedes.  
Nec satis est illud, Falso me nomine damnant  
Hereticamq̄ leui protinus ore uocant.  
Poscor ego ad pænas, at seruat Hypocrisis aras  
Proq̄ Dea fumos uendit in æde suos.  
Illa docet scalas moliri in Regna Tonantis,  
Arbitrio populi subijcit illa Deum.  
Nil opis externæ cœlum promittit egenis  
Illuc cum libuit scandere quemq̄ iubet.  
His lenocinijs seducit credula plebis  
Pectora, præcipites sic trahit illa uiros.  
At licet insidias & fraudes explicet omnes  
Et coniuratus mundus in arma ruat  
Freta Deo Pietas, uiuo secura futuri  
Hicq̄ tuas Princeps maxime seruo fores.  
Aspice propitia tandem mea vulnera fronte  
Hæc studijs digna est sollicitudo tuis



36  
Non tibi de decori fuero: Iesseia quondam  
Non sine laude mihi prebuit aula locum.  
Et Reges curæ Domino sunt: diligit illos  
Custodes legis quos iubet esse suæ.  
Adde tuis cumulum latè fulgentibus actis  
Ut uiuam merito semî sepulta tuo.  
Sic tibi pro patria ueniant felicia bella  
Audiat & laudes orbis uterq; tuas.

I. S. 70.



# Pietas restituta ad tuum

MVLVM ILLVSTRISSIMI PRIN-  
cipis IOANNIS Secundi, Regis Hun-  
garorum ultimi.



**F**VNERIS augusti Regales quisquis honores  
Suspicias, & tumuli grande stupefcis opus.  
Huc ades & nostris lugubria uerba querelis  
Iunge, nec ad iustas durior esto preces.  
Illa ego sum PIETAS, cœli iucunda uoluptas  
Ad superos uni cui uia facta patet.  
Non uia quam facili complanet tramite callis  
Quæq; ruat latè conspiciendus eques.  
Sed uia, quæ plantas metuendis uepribus urat  
Angustum pediti quæq; relinquat iter.  
Ducere qua soleo Christi pia iura professos  
Quos sequitur longo parta labore quies.  
Si quid



Si quid agam quæris, Regalia funera seruo  
 Et calet à lacrimis Vrba beata meis.  
 Eripuere mihi Ioannem fata secundum  
 Amisit Regem Pannonis ora suum.  
 Occidit Hungarici Generosus Sanguinis heros  
 Et spes imperij nobilis illa iacet,  
 Huius ad interitum spectant euersa ruina  
 Omnia, quæ stabili fulta fuere pede:  
 Aspicias ut mæsto demittant lumina uultu  
 Quotquot ad obsequium nobilis aula uocat.  
 Et populus Dominum lugubri uoce requirit,  
 Et gemit amissum Dacia tristis herum.  
 Regibus augustis sacros uinctura capillos  
 Frustra aliud sperat mæsta Corona caput.  
 Nobile quippe Genus conuulsa stirpe recisum  
 Aret, & in plantam non magis humorabit.  
 En ego Pannonijs nuper confidere terris  
 Iussa, repentina cogar abire fuga.  
 Ac iterum uullis aciem traducere signis  
 Et petere ignoti regna superba soli.  
 Nam quid opis miserę superest? Spes nulla manendi  
 Vix dum possessos spondet habere lares.  
 Profligata semel deposcit Hypocrisis aras  
 Rursus, & in prisca sede manere cupit.  
 Tam populis diues, rutili quam feta metalli,  
 Deq; Deo ueræ cognitionis inops.  
 Principe defuncto laxatas sumit habenas  
 Et sibi permittit, cum lubet, omne nefas.  
 Exigit innocuos nimium uiolenta ministros  
 Imponit leges Urbibus illa suas.  
 Et fremit, & noxam timidè sibi conscia celat  
 Hinc me presentem non bene ferre potest.



Rumpunt infanas conuicia rauca cathedras  
Et meus extinctus dicitur esse Deus.  
Non Deus ipse mihi fuerat, nisi fors an amicum  
Quique iuuet, libeat dicere uelle Deum.  
Sed ueluti genitor, natam complexus egenam  
Fecit ut hoc Pietas uindice tuta forem.  
Stulta quid insultas? memini cum muta sileres  
Et premerent tacitum liuida corda metum.  
Publicus an luctus tandem tibi cornua fecit?  
Ut licuisse tibi, quod libet, omne putes?  
Anne iacent prorsus perfracta repagula legum  
An simul extincto cum Duce iura silent?  
Hei mihi, quos gessi lætissima nuper honores,  
Cum deserta tibi plurima templa forent.  
Principis Imperio magni cum pulsa iaceres,  
Qui faciles aures in mea uota dabat.  
Errabunda uago peragrâram plurima cursu  
Regna, nec optanti est ulla parata quies.  
Donec in has terras post multa pericula uitæ,  
Neglectis alijs ire libido fuit.  
Inque breues referens subito mea uota tabellas  
Exhibui paucis inspicienda notis.  
Insidiasque tuas, & plenas criminis artes  
Edocui, linguæ plectra mouente Deo,  
Ipse manu tabulas capiens, iustrauit ocellis  
Omnia, solerti perdidicitque mora.  
Et me solatus gratissima prebuit ultro  
Hospitia, immotos attribuitque lares.  
Et studuit tantum de me benè posse mereri,  
Indignam curis non ratus esse suis.  
Tunc mihi tranquillæ pulcerrima reddita Pax est  
In mea tunc redijt pristinus ora nitior.



Foeda superstitio tacite pudefacta gemebat  
 Scilicet, & nusq̃ tum prior ardor erat.  
 Quin male possessòs etiam posuisset honores  
 Non sat p̃sidijs tuta futura suis,  
 Ni citò traductam regnatas Error in Vrbes  
 Fecisset stabili conditione frui.

Illic infanis odium clamoribus auxit  
 Misit & in nostrum tela cruenta caput.  
 Omnia sustinui: quid enim sub Rege Patrono  
 Terrerent animum barbara uerba meum?  
 Ille etiam risit stolidi conamina fastus

Quem Dea cultori perfidiosa parit,  
 Inflatosq̃ animos, non intellectaq̃ uerba,  
 Motaq̃ ab artificis sinistra prophana manu.  
 Sacrificasq̃ cruces, Romanoq̃ apta theatro  
 Sarmata, & ad sumos pallia fluxa pedes.

Et coniuratos audaci Dæmonas ore  
 Cùm pueri sacris perluerentur aquis.  
 Exiguaq̃ Deum Panis sub imagine clausum  
 Cùm uoluit sumam ferrea parca colum.  
 Quidquid & Ausonius chartis illeuit ineptis  
 Papa, iubens stulta relligione coli.

Sepius infremuit generosi pectoris ira,  
 Sepe etiam lacrimas expulit ipse dolor,  
 Cùm desperatis medicamina nulla parare  
 Rebus, & haud ullam ferre ualeret opem,  
 Indoluitq̃ suas Idola manere per Vrbes  
 Ac ita in errorem pectora cæca trahi.

Quid faceret? custos meretrix Babylonia sceptri  
 Noluit obsessum deseruisse locum.  
 Nec uoluit Pietas armis in regna reponi,  
 Nec fuit humanę res ea prorsus opis.



38  
Quod potuit fecit: tutis dedit esse Ministris  
Conilioq; meas iuuit & ære manus.  
Ut citius spargi descripta uolumina possent  
Quæ fidei sanctæ scita uerenda docent.  
Ingenuas etiam non paruis sumtibus artes  
Fouit, ut ad studium prompta Iuuenta foret.  
Testis erit meriti Musarum sedula nutrix  
Claudia, quæ Samias accolit hospes aquas.  
Testis erit quisquis peregrinis exul ab oris  
Clarus ab ingenio, clarus ab arte fuit.  
Acciuitq; uiros, ignota uoce loquentes  
Siue Hebræa foret, siue ea Græca foret.  
Ut mea iam tandem monumentis eruta priscis  
Iura, suo possent culta nitore frui.  
At licet inuideat magnis Sors aspera ceptis  
Nullus & ex illis uenerit hospes agris:  
Non tamen effecit, quin nostro quisq; labori  
Plauderet, & uigili cepta iuuaret ope.  
Non illum sannæ, non ulla iniuria fregit,  
Non tenuit regni publica cura sui.  
Quin pius assertor populis indicere cætus  
Et uellet sumtus sustinuisse graues,  
Ut collata sacri placidè sententia uerbi  
Discordes posset conciliare uiros.  
Quin etiam palam blasphema sophismata damnans  
Detexit nugas impie Papa tuas:  
Vnum non unum, tres non tres, cæca Sophorum  
Ludibria, implicitos explicitosq; Deos.  
Quidquid & absurdi spinosè Græcia finxit  
Hæu nimis in clades ingeniosa suas:  
At nunc illa tacet dulcissima lingua nec ultrà  
Soluatur in laudes officiosa meas.

Observata



39.  
Observata mihi custodem ianua nescit.

Nec sedeo ad dominas iam uelut ante fores.

Sed tumulum seruans preconia libera pango

Patroni meritum testificata mei.

Nec prius abscedam, subitis quam uulsa ruinis

Sidera cum caelo precipitata cadant.

Tunc quoque cum tumbam uertet damnoſa uetustas

Signabo memori lapsa sepulcra nota.

Interea lacrimas & tristes fundo querelas

Spe contenta meas sustinuisse uices.

Calliope Violas, Virtus augusta corollas

Spargit, & alterno floret honore lapis

Nam coluit Princeps illam, dilexit & istam

Officij causas utraque Diua refert.

Hunc habuit solum: non est habitura secundum

Cui tradat sceptrum Pannonia terra suum.

Vix virtute parem reperit Sol aureus illi

Non pietate parem maximus orbis habet.

Forſitan exiſtat ferro truculentior alter.

Multaque maiores arca flagellet opes.

Ac populis etiam maioribus imperet alter,

Pluresque armato milite sternat agros:

At pietate sua qui Regem uicerit istum

Non fuit, & longo tempore nullus erit.

Hanc illi propriam Pietas ego uendico laudem

Hec illi per me gloria parta uenit.

Eheu quod nullis libet hec exempla tueri

Regibus, ac leges non capit aula meas.

Sed uanam texo frustra dolitura querelam

Non est fortunę tam rota certa meę.

Vt sperare queam Regumque Ducumque fauorem

Cui medię plebis limen ad ire sat est.

Explicet



Explicit interea, quas nouit, Hypocritis artes

Ac in me cunctos improbus Error agat.

Vni fisa Deo, stabo tela omnia contra,

Nec frangent ulla pectora firma minę.

Moribus his Mundum uinco, Mundię ministros

Ius in me sola non habet Ira suum.

Pulsa loco maneo: Saxis oppressa resurgo,

Instaurat uires carnificina meas.

In desperatis Spes augustissima rebus

Perstat, & effugens in nece uita manet.

Quodę alijs damno fuerit, mihi cedere lucro

Suevit, & ex ipsis gaudia sumo malis.

Taliani nossem, nimium temeraria dicar,

Cui libeat medio ducere in hoste moram.

Rauis cincta Lupis merito ferar agna, uagari

Quam procul a septis graminis egit amor.

Sed Deus aduersus crudeles excubat hostes

In cuius semper stat mea uita manu.

Ille sibi de me laudemę decusę parabit

Siue diu iubeat uiuere, siue mori.

Quisquis es, ad Domine pietatis iussa uenito,

Non oberit, Regis more, fuisse pium.

✠ ANNVS Dies & Mensis mortis: ✠

Vt bls proDlerat septeno MartiVs orbe

FLeVItegens Regls Pannonia terra boni.

\* ANNVS MORTIS. \*


Fregit Ioanni LaChesls bona flLa seCVnDo,

PannonII CeCIDIt spesqVe benigna solI.

✠ ANNVS AETATIS ET MORTIS ✠

VnI ConI Vn Ct Vs Vitæ trl Cesl MVs ann Vs

FVnest Vs hVI Vs prInClpls neCe exItIt.



(?)

(\*)

(:)





Wingee